GEORGII WOLFF-GANGI WEDELII,

MED. DOCTORIS, THEORETICES PROFESSORIS PUBLICI, CONSILIARII ET ARCHIATRI DUCALIS SAXONICI, h. t. FACULTATIS MEDICÆ DECANI,

PROPEMPTICON INAUGURALE DE *MORBO CRASSO HIPPOCRATIS.*

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.
ANNO MDCLXXXIIX.

PRofundissima est Veterum sapientia, quam dum non attendimus sæpe, & nostris utimur annis, nescio an promoveamur magis in artis arcanis, an incuriâ in legendis istis sepositâ felicius operari iisdem liceat. Fieri hinc non potest, quin nova habeantur, quæ dudum fuêre cognita, in quocunque ferè medicinæ loculo.

Exemplo sint morbi cumprimis, & inter hos scorbutus. Extat hic descriptus apud *Coum* tam clarè, ac ullus morbus alius. Si characteres ejus æstimemus vulgo celebratos, gingivarum putrilaginem, cum oris fœtore & à dentibus discessu, & ulcera pedum, tanquam signa essentialia scorbuti eminentis, eadem cum aliis signis pluribus pervidit & describit *l. 2. prædictor. c. 42. t. 1. seq. l. de intern. affection. c. 34. t. 1. seq* & *cap. 49. t. 5. seq.* sub splenibus nempe magnis & volvulo hæmatite, ut vulgatam sequamur versionem.

Clarius res patebit, si noverimus colicæ nomen apud Hippocratem, quique ante Tiberium Imp. scriptis inclaruêre medicos non occurrere, sed communi cum ileo, seu volvulo, nomine fuisse comprehensam, quo de instar omnium legi meretur *Rolfincius Epit. aff. partic. l. 3. c. 13. p. 257.* & *Lindenius select. med. Ex. 8. p. 210.*

Hâc clavi cognitâ non mirandum est, sub volvulo sanguineo notionem occurrere scorbuti, cum colica scorbutica & hodiè non sit incognita. Vocat nempe ileum sanguineum, ad differentiam tum aliarum specierum, tum εἰλεῦ ψυχρῦ *ilei frigidi, l. 2. epid. c. 6. t. 25.* descripti, non affectum iliacum strictè sumptum sed colicum utrobique intelligens.

Hoc verò præmisso, juncto & illo, sanguineum dici, cujus

jus causa non tam hæret in intestinis, quàm massâ sanguineâ ipsâ intimius, non addito signo alio doloris, videtur innuere ileum sanguineum esse scorbutum, qui nempe soleat caussare frequentius dolores in infimo ventre, ac intestinis nominatim.

Patet id & ex sequentibus. Memorato enim morbo hoc citato ultimo loco progreditur *capite 50.* ad alios velut effectus hujusdem, quos sub titulo *τῶν παχέων καλουμένων νουσημάτων*, *crassorum appellatorum morborum* describit. Liceat nobis asserere, per morbos hosce crassos intelligi nihil aliud, quàm in genere morbos tartareos, in specie tormina colicorum æmula, seu colicam ipsam scorbuticam.

Notanter addit bis, morbos crassos ita dictos, ut molliret significationem, paulò impropriam visam. Crassi dicuntur duplici modo, tum à materiâ & modo humoris, à concremento tartareo, quoniam, verbis ejusdem, *οὐρέει παχὺ*, *mingit crassum*, velut & hydropes: tum à more rebelli & immorigero, quod *ἡ νοῦσος χαλεπὴ*, *morbus sit*, ut ipse asserit, *difficilis*, & multâ curâ opus habeat.

Nec obstat quadruplicem videri posse morbum, totidem capitibus propositum. Si enim penitius lustremus textum, unum eundemque describit, non uno modo habentem, ut sic accuratius res omnis patere possit, exhaustis omnibus circumstantiis elegantissimè. Omnes enim illi recensiti unum, modò rectè attendas idemque formale præ se ferunt, ventris dolorem & tormina, reliqua eadem modificant.

Utque pressius pateret morbi ambitus, exprimit singula distinctissimè. Et dolorem quidem, quod consistat circa viscera, quod corporis contactum non sustineat, cum doleat velut ex ulcere, quod magis progresso morbo dolor etiam amplior in corpore existat; quod decurrat à ventre ad viscera, & vice versâ, quod cum *ἀπορία* *angustiâ* circa viscera conjunctus, quod cum gravitate & dolor fortis sit; adeò quidem, ut in quibusdam & dorsum incurvetur, à contractione puta abdominis & pro molestiâ evitandâ.

Addit etiam morbum facilè recidivare & per paroxyſmos redire, & ob diverſitatem his ipſis junctam & emergentia varia facilè innuit, quare maluerit non uno capite eundem tractare, ut benè diſtinguendo tanto felicius doceret.

Enimverò, cum experientiâ teſte, (quæ omnibus his ſubſtrata tot phænomena ſuggeſſit, & etiamnum advertentibus confirmat uberrimè,) colica hæc ſcorbutica, ſeu morbus craſſus & tartareus, duplici terminetur modo, alia ſit brevior, & hac ipſâ brevitate æquipolleat aliquando acutis, alia ſit longior, diuturna & chronica, tum à paroxyſmis æſtimanda, tum periodo, curioſè hoc notavit divinus ſenex, duas ſpecies affirmans breviores, duas chronicas.

Illarum primam ait judicari (i. e., termino medico, deſinere,) in quatuordecim diebus ad ſummum; alteram diebus triginta, ſive ad mortem, ſive ad ſalutem terminentur. Deprehendimus colicâ tali ſcorbuticâ laborantem, ſemel iterumque die XIV. judicatum, tandem reportaſſe calculum. Nimirum ob acrimoniam biliosam, magis reſpectivè in inteſtini plicis hærentem, ob dolorem, ob anguſtiam, ob vigilias, & febris ſymptomatica excitari ſolet facilè, & inflammatio ipſa accedens vitæ pauſam poteſt indicere, niſi præcaveatur.

Quod chronicas attinet ſpecies, terminum ponit utriſque communem, ſex annorum, priorem verò etiam ad decem annos adhærere poſſe, imò & ξυναποθνήσκειν, *commori*. Neque verò & hoc mirandum eſt, ſi noverimus morbi naturam rebellem, craſſitiem, coagulum tartareum, & confirmati fuerimus experimentis.

Novimus virum, qui hæc decurrit tempora, novimus fœminam, quæ in eodem decurſu adhuc occupatur. Imò novimus etiam virum alium, qui calculos per anum excrevit poſt, quam longius torminibus his fuiſſet afflictus, quod idem confirmat *Abuali l. 3. fen 16. Tr. 3. c. 6. p. m. 635.*

Novimus per urinam tartari cœnoſi plurimum evacuatum cum ſucceſſu in viro primario, qui dorſum dicto modo in-

incurvatum longo tempore gesserat, cui antiscorbutica & acidulæ levamen tulerunt, ut rectè iterum incedat.

Nec causam tacet Hippocrates, scorbutum, quem jam nominaverat, crassitiem tartaream sæpe laudatam, acidum, salsum, amarum, bilis & pituitæ concursum, obstructiones viscerum, inflationes & alia.

Et ne nihil omittat, non reticet, occupare aliquando morbum crassum, quod de secundo maximè adnotat *c. 51.*, ipsum nervosum magis genus, ita quidem, ut & sensibus insidietur, non solùm externis, visui & auditui, sed & internis, & motum labefactet, ut si surrexerit, crura elevare non possit, sed concidat, & pedes ipsius sint frigidi.

Quid verò hoc aliud est, quàm trahere post se sæpenumerò *ἀδυναμίαν* & paralysin, solennem effectum colicæ scorbuticæ, nec *Paulo*, nec *Ebnsinæ*, nec aliis omissum? Quin, ut præter scopum ad alia non digrediamur ulterius, inprimis dubium *πετράγωνον*, quo de forte alibi agemus, volente Deo, memoranda restat curatio per lactis potum.

Commendat hoc tribus ex istis speciebus prioribus, non ultimæ, ubi flatus magis eminent & hydropis metus, ceu contraindicans eximium, per longius tempus, nec præbiò exiguo, ad diluenda & demulcenda videlicet salia, ad temperandum sanguinem, & restaurandas vires. Sanè & hæc curatio per lactis potum hodiè in arthritide, in scorbuti non paucis effectis, in phthisi & aliis hinc fontem suum arcessit à medicinæ fonte uberrimo & antiquissimo Hippocrate.

Removendum verò hîc se offert dubium, quod alibi quoque, nempe *l. 2. de morbis c. 1. t. 12. & seq.* nonnullis putetur morbus crassus vocari & describi à *Coo* nostro. Laudamus eo nomine *Petrum Salium Diversum comm. in hunc locum l. 2. de morb. text. 4. p. m. 177.* qui & crassum morbum ibi intelligit, & ab antiquioribus appellatum scribit, in quo totum corpus intumesceret indeque crassius appareret; hâc enim de causâ nomen hoc sibi vindicasse.

Ast, ut ipse fatetur *p. 179.*, nequaquam crassum hunc mor-

bum, de quo hîc, ut putat, loquatur Hippocrates, coincidere cum noſtro illo, ſeu quatuor illis ſpeciebus dictis: ita textus ipſe refragatur. Cum enim dixiſſet *l. c.* cutim capitis craſſeſcere & reliquum corpus attolli & craſſeſcere, addit: τῦτο τὸ φλέγμα ἐς τὰς σάρκας τρέπεται, καὶ ὑπὸ τύτυ δοκέει παχὺς εἶναι. *Hæc pituita ad carnes convertitur & ab hâc craſſus*, (non morbus, ſed ἀπὸ τῦ κοινῦ, ut ſæpe loqui etiam alias amat, æger,) *eſſe videtur.* Id quod non attendentes interpretes decepit.

Sed vocat nos ad ſe, cujus occaſione hæc præfari voluimus, Diſputatio Inauguralis de COLICA SCORBUTICA Clariſſimi & digniſſimi Medicinæ Doctorandi,

CAROLI FRIDERICI NESTERI,
Altenburgenſis Miſnici.

Primam hoc in mundo aſpexit lucem, die 10. Menſ. Septembr. Anno 1662. Altenburgi in Miſniâ, natus Patre JOHANNE MATTHIA NESTERO, Med. Doct. famigeratiſſimo, Sereniſſimi ibidem t. t. Principis, poſtmodum Serenisſimi Marchionis Brandenburgici Byruthenſis, denique tandem Serenisſimi & Potentiſſimi Electoris Saxoniæ JOHANNIS GEORGII II. glorioſæ memoriæ, Archiatro fidelisſimo, piè jam fatis functo; Matre CHRISTIANA CATHARINA, Viri ſummè Reverendi M. PETRI KIRCHBACHII, Diœceſeos Zvvickavienſis olim Superintendentis ac Inſpectoris digniſſimi, νῦν ἐν ἁγίοις, filiâ.

Ab his Parentibus ſuis à teneris unguiculis in pietate educatus, &, ut τὰ χρήσιμα παισὶ maturè addiſceret, à Præceptoribus privatis laudabiliter edoctus eſt.

Poſt immaturum autem B. Parentis obitum, ad altiora jam ſpirantem excepit pariter nunc beatus Patruus, PHILIPPUS ERHARDUS NESTERUS, Illuſtris, Miſniæ cis Albim quod jacet, Gymnaſii Præfectus, ſub cujus fideliſſimâ ac magis ferè quàm paternâ curâ ac patrocinio feliciter accrevit, ubi quoque primum ἐφόδιον linguarum & artium cognitionem in Electorali illo Gymnaſio, ſub Præceptoribus

præ-

præclariſſimis, Rectore, M. JOHANNE GEORGIO VVILKIO, & Con-Rectore, M. ANDREA KIRSTENIO, ſibi comparavit.

Corticibus hiſce nixus Anno 1683 ſecundo vento pelago Academico ſe credidit, & in almam Wittebergenſem ſelicibus auſpiciis concedens ſub Rectore Magnifico THEODORO WERNERO MARTINI J. U. Doctore & Profeſſore Publico celeberrimo receptus, hoſpitio ac menſæ ſummi Theologi, D. ABRAHAMI CALOVI, Affinis ſui p. m. ſociatus eſt.

Memor hîc propoſiti Nobiliſſimorum & Excellentiſſimorum Profeſſorum & Doctorum informatione, publicâ & privatâ, in Philoſophicis ac Medicis ſtudiis uſus, ex illis inprimis audivit GEORGIUM CASPARUM KIRCHMAJERUM, Pathologiam veterem & novam publicè t t prælegentem. Ex his verò, exemplo Avi & Proavi ab Aviâ, SCHRÖDERORUM, in arte medicâ laudatisſimorum Virorum, inprimis verò chariſſimi Parentis & Avi illectus, quamvis amplectens diſcendi occaſionem, ſeorſim B. JEREMIÆ LOSSII & JOHANNIS THILE, Med. Doctorum & Profeſſorum Publicorum celeberrimorum, ut & privatiſſimè CHRISTIANI VATERI, Med. Doctoris & Phyſici Provincialis, informationem aure ſedulâ hauſit, auro contrà æſtimans, ubi ingenium tàm publicè opponendo, quàm privatim diſputando, reſpondendo ac opponendo in majus atque melius excolere licuit.

Ratus etiam inſigne ſtudiis ſuis acceſſurum incrementum, ſi almam hanc Salanam adiret, utpote quâ Avus, Proavus & Abavus utriusque lineæ tàm maternæ, quàm paternæ, imò ipſe B. Parens ſummos honores in arte medicâ ac purpuram Doctoralem adepti fuerunt, hoc ſtimulo inductus, huc præterito anno 1686. Menſe Octobri, ſub meo Rectoratu, appulit.

Hîc ergò non minus in uſum ſuum convertit, quæ ex ore & manuductione fideli Excellentiſſimorum Profeſſorum tàm publicâ quàm privatâ manabant.

Sectio-

Sectiones etiam Anatomicas in utroque ſexu, ut & demonſtrationes Botanicas D. AUGUSTINI HENRICI FASCHII cum fructu viſitavit; &, me Præſide, PHYSIOLOGIÆ REFORMATÆ Diſputationem VIII. *De Laboratoriis Vitæ Fomentorum* publicæ ventilationi ſubjecit & ſtrenuè defendit.

Inde ſolidos ſibi fœneratus profectus, ſuaſu Matris ſuaviſſimæ aliorumque Patronorum ad Praxin ſe accingere animum induxit, & eo fine à Facultate modeſtè petiit, ut aditus ad capeſſendos honores in arte ſummos ipſi patefieret.

Adnuit, & exploratis ingenii viribus inſignibus, juxta ac moribus inculpatis, ut easdem publicè exhiberet DISPUTATIONE laudatâ INAUGURALI, ſub noſtro moderamine, conceſſit.

Hunc actum ad d. XVIII. Jan. indictum, ut Magnificus Academiæ Rector, Proceres & Profeſſores, omniumque ordinum Hoſpites & almæ medicinæ fautores præſentiâ ſuâ decorare dignentur, perofficioſè & humaniter invito.

P. P. Jenæ ſub Sigillo Facultatis. Ann.
M. DC. LXXXIIX.

L. S.